


motuq; suo arcum circuli magni in Cœlo describere visus fuerit Cometa, tñ. quantum ex observationibus meis calculo Trigonometrico deprehendere potui, non servavit simplicem motus sui ductū, sed vagus quasi ad latera aliquantisper discessit, à rectitudine circulari notabiliter exorbitans. Et ut ut fateri cogar, observationes meas, utpote crassiores, ob defectum instrumentorum, non semper locum Cometæ verum ita præcisè monstrare, ut ductus etiam verus inde tutò deduci possit; hoc tamen negare non vereor, eas à vero tantum aberrare posse, quantum à tramite recto motus Cometæ declinavit. Cum primis autem circa finem ab arcu circuli magni exorbitare deprehensus est Cometa, adeò, ut Angulus, quem arcus motuum Cometæ ad eclipticam incidens efformavit, ultimò ferè ad 90 gr. aspiraverit, cùm tamen circa principium 70 gr. vix excesserit.

CAPUT XVII.
DE DECLINATIONIBUS ET
Ascensione rectâ Cometæ.

Cometâ jam ad Eclipticam, quantum fieri potuit, alligato, Crestat ut Æquatori etiam comparetur, ejusq; declinationes cum ascensione rectâ inquirantur. Poterit autem hoc fieri per triangularem sequentis diagrammatis solutionem.



In hac figurâ Circulus
A C G B, est Colurus solstitionum,
A B Æquator cujus Polus F.
C D Ecliptica cujus Polus G.
H Locus Cometæ.
F H K, quadrans circuli declinantis Co-
metæ.
G H I quadrans circuli latitudinis Co-
metæ.
H I Latitudo, E I Longitudo, H K De-
clinatio, E K Ascensio Recta Cometæ.

Ad inveniendum igitur arcum H K & E K ducatur à Come-
tæ loco H ad punctum æquinoctii proximum E arcus circuli ma-
gni H E. Quo facto resultant duo Triangula E I H & E K H
rectangula in I & K, communi hypotenusâ E H. Jam in Tri-
angulo